



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Cui incumcat, seu imponi debeat à Iudice onus probandi in causa  
appellationis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

certum tempus præfixum ab Episcopo, ad Curiam Romanam appellationis prosequendæ causâ accedat, uti habetur in *c. Peruenit. 28. h. t.* ita ut Episcopus præbendâ eum privare possit, nisi alterutrum fecerit, si nullam justam causam habeat, eum de facili tantum appellatione in tali casu sit præsumptio.

## §. II.

*Quod sit officium Iudicis ad quem, & quomodo procedere possit ac debeat?*

**I**udex, ad quem appellatum fuit, debet appellationem ad se delatam admittere, de ejus justitia cognoscere, & si viderit, illam legitimè interpositam, debet pronuntiare, appellationem esse justam, sive malè judicatum, bene appellatum esse. Si verò viderit, illam esse illegitimè factam, debet illam pronuntiare injustam, sive bene judicatum, malè appellatum esse. Et quamvis per se vel per alium non suspectum de causa & justitia appellationis cognoscere possit, non potest tamen causam appellationis examinandam ad Iudicem, à quo est appellatum, remittere (nisi pars, quæ appellavit, consentiat. *c. Accepta. 35. h. t.* quia præsumptio est, & periculum, ne iterum gravet) etiam casu quo Iudex, à quo fuit appellatum, in locum Iudicis, ad quem fuit appellatum, modò autem defuncti aut depositi successit, (ob rationem etiam in hoc casu urgentem) sed debet in tali casu appellatione examinanda alteri personæ non suspectæ delegari, quæ vel remitter appellentem ad Iudicem à quo, si advertat malè appellatum, & in expensas temerarium hunc appellentem condemnabit (nisi Iu-

dex à quo appellationi detulerit. *c. Cuius appellationibus 5. h. t. in 6.*) vel si bene appellatum advertat, priorem sententiam à Iudice à quo malè latam cassabit, et pro parte reformabit, & sic de casu principali pronuntiabit, modò de iuris causæ per probationes comprobata ei constet, etiam si in hac secunda appellationis instantia lis coram Iudice appellationis contestata non fuerit, vel conventa in hac secunda instantia facta contumaciter absens. *c. Per tuos 98. h. t.* cum litis contestatio in prima instantia facta nec per appellationem tollatur, nec extendere etiam se possit ad causam appellationis. Vide plura de his apud Auctor. Method.

## §. III.

*Cui incumbat, seu imponi debeat Iudice onus probandi in causa appellationis?*

**A**d initium processus appellationis appellatus coram Iudice ad quem appellatus probare debet tria; appellasse se Iudicem, & quidem legitimo tempore à sententia vel gravamine illato; & Secundo appellasse se ex causa rationabili, tali scilicet quæ si probata fuerit, iusta declaratio appellatio; & Tertio denique debet appellans producere appellationem, ipsam sententiam v. g. à qua appellatum. Procurator autem, si per hunc appellationem prosequatur appellans, debet insuper probare mandatum, & curatorem derato. His probatis procedi v. g. iurisdictionem, & quælibet pars excipiens sententiam appellationem probare debet, ac modò de causæ principalis, qui eadem probare debuit in prima instantia directè Iudice



à quo, sive ex prioribus actis probationes has depromendo, sive novas producendo. Quod si verò pars litigans exceptionem suam opponens, ob quam respondere non teneretur, à Iudice audita non est, & propterea appellavit coram Iudice appellationis, probare non tantum debet, appellasse se ex causa probabili; sed debet insuper probare causam illam veram esse, vel saltem probare debebit, allegasse se coram Iudice à quo causam, quare respondere non teneretur, & voluisse etiam in continenti hanc probare, auditum tamen non fuisse, (quia in illo casu pugnat contra appellantem præsumptio, quod vexandi tantum adversarii causâ noluerit respondere, & appellaverit, quæ in altero casu nihil probat) nisi extrajudicialiter tantum appellet, aut ablit Iudex, aut offeratur eo tempore probatio, quo non teneretur eam recipere Iudex, cum in talibus casibus vel non adlit Iudex, cui ex officio iucumbat recipere probationes, vel non offeratur probatio tempore conveniente.

§. IV.

An, & quando Iudex appellationis procedere possit ad citandas partes, vel delegare causam alteri, vel inhibere Iudici à quo, ne procedat in causa, & ne sententiam exequatur?

Iudex, ad quem fuit appellatum, non debet in causa interpositæ appellationis ab interlocutoria citare partes ante sententiam definitivam; neque causam alteri committere potest, nisi causa probabilis, seu legitima interpositæ appellationis sit expressa, prout statuitur in *e. Romana. 3. §. Cum autem h. t. in 6. cum*

in omni appellatione ab interlocutoria exprimi & probati debeat causa interpositæ appellationis, ut dictum: neque inhibere potest Iudici à quo, ne in causa illa procedat, aut sententiam exequatur, si contra appellationem ob defectum aliquem excipiatur, aut appellatus opponat, causam appellationis veram non esse, priusquam de legitima appellatione constet, quia prius constare debet de potestate jurisdictionis, quam ad illius exercitium procedatur. *Glossa in cit. c. Romana. §. Si verò V. Non presumant;* Quod ipsum etiam dici debet, si post sententiam quidem definitivam appellatum fuit, in casu tamen de jure prohibito; vel si de hoc dubitatur, ante omnia de causæ veritate Iudex appellationis cognoscere debet, ne frivolæ appellationi deferatur; admittenda tamen est appellatio etiam in casu à jure prohibito, si justa seu rationabilis causa in appellatione fuerit expressa, ut quod metu tormentorum v. g. vel per errorem confessus fuerit in prima instantia appellans. Plura ad hoc appellationis negotium spectantia ex relato *cap. Romana & Glossa illius cap. colligi* possunt.

§. V.

An, si litigans coram suo Iudice non appellavit ab interlocutoria, postea verò appellavit à definitiva, Iudex appellationis possit revocare interlocutoriam, & gravamen per illam illatum reparare?

DE hac questione agitur in *c. Licet 12. h. t. in 6. quod consule, quia casus rarus est.*

